

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

6672

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

IOH. GVILIELMI BAIERI,
S. THEOL. D.
COMPENDIVM
THEOLOGIAE
EXEGETICAE,

in Vsum Auditorum quondam

conscriptum,

nunc

post Authoris obitum

secunda vice

publici iuris factum.

Anno MDCCXXIII.



LECTORI BENEVOLO

S. D.

M. Johannes Guilielmus, Joh. Guil. Fil. Bajerus.

Post tria B. BAIERI Parentis mei Theologiae Compendia, non sine applausu Tuo haecenus edita, quartum nunc Exegeticam Theologiam complexum, B. L. exhibemus. Breve illud est, eoque minus metuendum, ne rem librariam, satis jam sua mole laborantem, oneret; nec tamen idcirco suo fructu carebit, cujus dudum sva-ritatem perceperunt, qui dictatum in privatis collegis hoc Compendium calamo exceperunt. Non occupabimur ergo vel commendatione ejus, vel excusatione suscepta editionis, quam certi sumus, talem benevolentiam penes aequos rerum censors inventuram, qualem & merita B. Authoris, & edentium publico commodo serviendi studium poscit. Caterum explicationem Epistola Pauli ad Galatas, seu praxis Hermeneutica specimen, Authoris B. intentionem secuti, simul emisimus, in qua hoc unum forsitan L. B. desiderabis, quod verba textus Graeci, quandoque cum dispendio nativa $\epsilon\upsilon\phi\acute{\alpha}\tau\epsilon\omega\varsigma$ Latine tantum, non originali lingua, expressa reperies. Sed dandum hoc erat penuriae literarum Graecarum, qua suppellex Typographi laborabat, quaeque resarciri tantillo temporis spatio non poterat. Condonabis igitur, B. L. hanc culpam, nostrisque conatibus fa-vebis. Vale!

COM-

B. C. D.

COMPENDIUM
THEOLOGIAE EXEGETICAE.

CAPUT. I.

De

Natura & constitutione Theologiae Exegeticae.

§. I.

Theologia Exegetica vi vocis est ratio, vel oratio de DEO (a) cum respectu ad interpretationem, (b) Ex usu loquendi autem denotat habitum aut scientiam (c) cognoscendi DEum & res divinas ex revelatione divina, quatenus hæc continetur in verbis, quibus DEus ipse immediatè usus est, & horum sensus, aut mens DEI loquentis erui & declarari debet aliis. (d)

NOTÆ.

- (a) Sive λόγος & ὡς ἐξ Θεοῦ, prout aliàs de Theologia Positiva & Morali docuimus.
- (b) Ratione additæ vocis: Exegetica. Ἐξ ἡγεῖας enim, quod generaliter idem est, ac esse Ducem, præesse, præire, &c. Speciali ac receptissimo significato idem est, atque interpretari, enarrare, explicare, aut per notius aut clarius quiddam manifestare, quod alteri ignotum aut obscurum erat. Licet etiam vocabulum interpretis in latiori sensu dicatur de quolibet, qui medius est in re agenda, quem Germani dicunt einen Unterhändler.
- (c) Pertinet hoc iterum ad Theologiam, ut Theologia est, juxta ea, quæ alibi tradidimus.
- (d) Hoc ad Theologiam Exegeticam, ut præcisè Exegetica est, & distinguitur à Catcberica, & Homiletica &c. pertinet. Atque

A 2

ita

ita non solum apud Gentiles dicebantur οἱ μᾶλλον ἔχοντες θεῶν, quando res ad deorum cultum pertinentes, & speciatim leges, quas divinitus 'latas jactabant, aut responsa Deorum interpretabantur. Vid. Xenophon in Pædia Cyri; Verum etiam Christiani, qui revelationem aliam, post scripturas consignatas, non habent, quam eam, quæ est in Scripturis; non aliaratione dicuntur habere aut tractare Theologiam exegeticam, nisi quatenus in scripturarum verbis explicandis occupantur.

§. 2.

Synonyma Theologiæ Exegeticæ sunt 1. Propbetia (a) 2. Hermeneutica sacra. (b) 3. Ratio cognoscendi sacras literas. (c) 4. Facultas aut scientia interpretandi scripturam. (d) 5. Methodus exponendarum sacrarum literarum. (e)

NOTÆ.

- (a) Vid. Rom. XII. v. 6. 1. Cor. XII. v. 10. cap. XIV. v. 3. 4. it. v. 22. seqq. Alias equidem communiter προφητῆς habetur pro nuncio futurorum: sed præterquam quod aliqui vocem non tam à προφῆτι, præ dico, sed à προφῆται, quod est ostendere, manifestare, deducunt, etiam usus loquendi, præsertim in locis citatis probat, prophetas dici interpretes Dei, & προφητεῶν donum interpretandi scripturam sacram, quantum ejus tunc extabat: ac distingui illud donum à dono linguarum, seu loquendi linguis peregrinis.
- (b) Vid. 1. Cor. XII. v. 10. c. XIV. v. 26. Derivatur autem à græco ἑρμῆς quod est ab ἑρῶ, nuncio. Hermes enim nuncius Deorum habebatur, nec solum executor mandatorum verum etiam interpret dictorum; Ceterum solent distingui nonnunquam ἑρμηνεία & ἐξήγησις, ita ut illa de vulgaribus & passim obviis; hæc de divinis & excellentioribus agere credatur. Sed usus non est perpetuus. Hermeneuticam autem pro Exegetica Theologia dixit B. D. Grosheim eodemque respexit B. Dannhauerus, eam Hermeneuticam sacram scriberet.
- (c) Vid. Flacius in Clave. Part. II. sub initium.
- (d) Alias enim datur etiam interpretatio rerum, quæ ad præsens non pertinet.
- (e) Sic B. Dannhauerus Hermeneutica sacra à se edita declarationem in titulo exhibet.

§. 3.

Dari Theologiam Exegeticam, ex Scripturis pariter (a & Historia Ecclesiastica (b) manifesto constat.

NOTÆ.

(a) *Nempe*

1. *Ex Natura Scripturæ; per quam ipsa destinatur ad informationem aliorum de rebus credendis, quæ in verbis ipsis continentur, & inde hauriri debent: unde patet, voluisse Deum, ut essent aliqui eo dono aut perfectione instructi, cujus beneficio explicarent verba Scripturæ ad docendos homines.*

2. *Ex dictis Scripturæ diversis v.g. Mal. II, v. 7. Rom. XII. & 1. Cor. XII, & XIV.*

3. *Exemplis Scholarum prophetiarum in Najoth. Bethel, Jericho, Gilgal; item exemplis Scribarum aut Scripturæ peritorum, qui aliis *νομοδιδασκαλοι* dicebantur, quamvis superbe nimis jactabant se habere clavem scripturæ, cum à vera cognitione degenerassent.*

(b) *Quo pertinent non solum specimina Commentariorum à piis Patribus consignatorum, itemque nomen Tractatorum à tractatis textibus desumptum, sed & imprimis libri S. Augustini de doctrina Christiana.*

§. 4.

Potest autem Theologia Exegetica duplex constitui (a); una, quæ docet, seu quæ dirigit hominem ad cognoscenda & tradenda præcepta interpretationis sacræ Scripturæ: Altera utens, seu, quæ dirigit hominem præceptis nixam ad hanc, illam, istam Scripturæ partem hic & nunc alteri interpretandam. Illam scientiam de arte; (b) hanc artem (c) esse haud male dixeris. Utraque tamen habitus practicus est. (d)

NOTÆ.

(a) *Est enim utraque sano sensu docere rectè dici possit; tamen aliud est, cognoscere & tradere præcepta interpretationis communia; aliud, esse aut agere Commentatorem: Atque ita etiam in Theologia Homiletica Rhetor, & orator Ecclesiasticus distingui solent.*

(b) *Scientia enim est explicare objectum, conclusiones ex principiis deducere.*

deducere, easdem confirmare ac defendere: & per illas conclusiones tradere regulas operationis; si de scientia practica sit sermo. Atque ita in presentiarum nobis Theologia spectanda venit.

- (c) Sive facultatem operandi juxta scientiam & conclusiones scientie.
 (d) Utraque enim est propter operationem, nempe adificationem Ecclesie, ut mox dicitur.

§. 5.

Finis recte distinguitur in finem Cujus, & finem Cui. Ille iterum in ultimum & intermedium; intermedius rursus in externum & internum dividitur. Finis Cuius ultimus est idem, qui totius Theologiae, & ipsius Scripturae sacrae, nempe salus hominum aeterna. (a) Intermedius, isque externus est aedificatio (b) seu informatio ad fidem & incrementum fidei, virtutesque ceteras: Imo & ratione Theologiae docentis finis cuius est ipse habitus Theologiae Exegeticae in altero producendus; quin etiam usus in Theologia Positiva, Polemica & Torali. (c) Internus consistit in actibus, quos habitus Theologiae Exegeticae per se attingit, atque in potestate sua habet; & sunt, si de Theologia Exegetica docente loquamur, ipsi actus cognoscendi & docendi praecipua interpretationis Scripturae; si de utente loquamur, consistit in actibus interpretandi hanc illamve Scripturae partem, aut Scripturam totam.

NOTÆ.

- (a) Vid. 1. Tim. IV. v. 14. & 16.
 (b) Vid. 1. Cor. XIV. v. 3. 4. & 5.
 (c) Sane, sicut positiones aut dogmata Theologica ex Scriptura sacra demonstrari debent in Theologia, quam Positivam dicimus, ita certum est, eam scientiam, qua versatur circa Scripturae sensum investigandum, sua natura ordinari & tendere ad illam dogmatum confirmationem, tanquam ad finem; & sicut Heterodoxi, & Heretici falsa dogmata pro veris venditantes, vera autem rejicientes, ipsi quoque ad Scripturam sacram provocant, quasi sua opiniones eadentantur, & opposita refutantur; ita προς τὸ ἐλέγχειν τῆς ἀντιλέγοντας, ad redarguendos

dos illos, qui veritati contradicunt, non solum opus est eo habitu, quo Scripturam interpretamur; verum hic ipse ad illam defunctionem velut ad finem destinatur. Cumque non solum fidei dogmata, sed & capita doctrinae morum ex revelatione in scripturis contenta tradi & disci debeant, sane hoc etiam, seu ad Theologiam moralem, tanquam ad scopum aut finem tendit Theologia Exegetica.

- (d) Prout alias habitus quilibet ad certos actus tendit; & habitus docens utentis causa est.

§. 6.

Finis Cui, sive subjectum operationis, in quod finis Cujus introducendus est, respectu Theologiae exegeticae generaliter acceptae, sunt homines singuli aut coetus integri (a). Respectu Theologiae Exegeticae docentis autem peculiariter ad subjectum operationis pertinet auditor (b) seu studiosus Theologiae; quem quidem oportet esse idoneum, aut ad ministrum necessarium (c) instructum.

NOTÆ.

- (a) Vid. Loca citata ex Epistolis ad Tim. & ad Corinth.
 (b) In quem scilicet per operationem Theologiae docentis introducendus est finis, propter quem operatur Theologia Exegetica docens; sive ut is itidem fiat interpres scripturae, proficiat in Theologia Positiva, Polemica & Morali, &c.
 (c) De quibus infra distincte agemus.

§. 7.

Ad objectum (a) Theologiae Exegeticae pertinent omnia, quae interpretatione scripturae cum alia quavis interpretatione communia sunt; (b) 2. speciatim verba & sensus scripturae sacrae (c) imprimis vero ea, quae sunt de rebus credendis atque agendis, (d)

NOTÆ.

- (a) Sive id, circa quod tractandum, aut explicandum, per conclusiones ex principiis certis deducendas, versatur Theologia Exegetica docens; item illud, ad quod potentia activa interpretis scripturae, seu ejus, qui & haecenus habitu utente pollet, extrinsece terminatur.

- (b) Qua-

- (b) Quatenus interpretatio Scripturæ consideratur præcise, ut est interpretatio.
- (c) Quatenus Exegetica Theologia, ut Theologia ad revelationem in scripturis contentam alligata, aut Hermeneutica sacra ut sacra est, spectatur. Coniungimus autem hoc loco verba & sensus scripturæ, quia circa verba versatur Theologia Exegetica, quatenus sensum continent; & circa sensum quatenus est horum verborum sensus. Res ipsas autem divinitus revelatas non tractat immediate Theologia Exegetica, sed præcise ratione verborum & sensus scripturæ de rebus talibus. Caterum totius scripturæ verba & sensum ad objectum Theologiæ exegeticæ hic referimus, quia tanta est ejus latitudo; etiam si Theologum talem, qui totam scripturam sine omni etiam levissimo errore & accurate interpretatus fuerit, nominare vix possit. Quo pertinet, quod Theologi etiam eruditissimi de difficultatibus inextricabilibus quoad loca quædam obscuriora conqueruntur, ac plenam eorum intelligentiam Academia cælesti reservatam dicunt.
- (d) Quemadmodum Theologia exegetica ad edificationem fidei & morum tanquam ad finem respicit; ita non potest non imprimis occupari circa mentem Spiritus Sancti de rebus credendis atque agendis ex scriptura investigandam.

§. 8.

Principia (a) partim sunt luminis naturæ (b) partim in ipsa revelatione divina (c) quæri debent, imo unice in hac, quoad rationem assentiendi fidei divina, (d)

NOTÆ.

- (a) Ex quibus ducuntur conclusiones ad explicandam naturam objecti spectantes,
- (b) Quod attinet communes interpretationis regulas.
- (c) Quoad ea, quæ scripturis sunt propria. De utrisque autem infra agetur distinctius.
- (d) Scilicet, ut credam & certus sim, hæc & non aliam esse Dei mentem in hac scriptura & his verbis ejus loquentis; scripturam esse Dei verbum divina fide credo. Nam & antequam acquiratur habitus Theologiæ exegeticæ, fidelis potest esse, imo debet,

qu

qui acquiritur est habitum illum. Et hinc porro constat Theologiam Exegeticam quoad habitum assentiendi spectatam esse in substantia sua habitum supernaturalem; etsi hodie non infundatur, sed labore ac studio acquiratur.

§. 9.

Ut vero aliquis sit idoneus Auditor (a) Theologiæ Exegeticæ docentis requiritur 1. ut quoad intellectum sit docilis sagax & instructus notitia linguarum, imprimis (b) *Hebraicæ & Græcæ*. (c) ita ut præcepta usumque conjunxerit (d) : sed & linguæ cognatæ *Chaldaicæ* (e) *Syriacæ* (f) *Samaritana* (g) *Arabica* (h) *Aethiopicæ* (i) non parum possunt (k) *Logices* autem (l) & *Rhetorices* (m) itemque *Scientiarum Philosophicarum Theoreticarum* (n) & *Practicarum* (o) nec minus *historiarum* (p) cognitio suo modo necessaria est. *Theologiæ* quoque *positivæ* (q) non nihil gnarum esse oportet. Nec abs re fuerit aliarum scientiarum atque artium (r) rudimenta callere, aut saltem aliunde de his aliquid inaudivisse. *Versionum* etiam *scripturæ*, saltem in sermone vernaculo, ex frequenti *Lectiōne* nata peritia (s) ut & *interpretum* præcipuorum familiarior notitia (t) valde conducibilis est. II. Ex parte *voluntatis* requiritur amor & patientia laboris (u), pietas, (x) modestia (y) & imprimis studium precandi (z).

NOTÆ.

- (a) Sive talis, qui cum fructu scholas *Theologiæ Exegeticæ* frequentet, & habitum eundem docentem vel utentem sibi acquirit.
 (b) Earum scilicet, in quibus consignatus est textus *Scripturæ* authenticus: cujus verba sunt, de quorum sensu sollicitus est interpret *Scripturæ*.
 (c) Quas hic jungimus, cum pro hodierno *Ecclesiæ* statu nec *Veteris Testamenti* textus absque *Novo*, nec *Novi Testamenti* textus absque *Veteri* ubique satis feliciter explicari possit. Vid. *Ep. ad Galat. III. v. 6. 8. 10.* & alii plures.
 (d) Quorum illa quidem præstant, quæ ad *litteraturam sacram* pertinent, ut sine confusione, adeoque accuratius discantur, & ut plerumque rationes a priori calleamus. Hic (scilicet usus) vero supplet & supplet, quæ præceptis exprimi satis non poterunt;

B

tuerunt; imo ipsa praecepta illustrat, confirmat, & ut jucundius tractentur efficit,

- (e) Non solum propter particulas Chaldaicas textus Hebraei veteris Testamenti; praesertim in Daniele & Esra: Verum etiam, quod multae sunt voces Hebraeae obscurae, locutiones irregulares & schemata antiqua, quae non aliunde rectius, quam ex lingua Chaldaica exponi possunt.
- (f) Quod vel ex modo dictis constat, cum Syriaca lingua accidentaliter tantum differat à Chaldaica; non essentialiter; nec negari potest, Christum ipsum Syriace locutum fuisse, quanquam non ea dialecto quam Maroniticam vocant. Sunt vero etiam in novo Testamento nomina quadam propria pariter & appellativa, imo & constructiones, Syriacae potius, quam Graecae. Denique versionis Syriacae novi Testamenti usus est non exiguus.
- (g) Quae & ipsa radices quasdam obsoletas restituit, & cum Hebraea Chaldaeaeque Lingua maxime cognationis est.
- (h) Quae multas admodum radices vocum Hebraicarum deperditas restituit, & praesertim quorundam nominum propriorum significationem ex vi etymii suppeditat; v. g. vocis Agar. Gal. IV. v. 24. quae montem potius significat, quam peregrinam. Cumque Arabismi in Scriptura Veteris Testamenti non raro occurrunt, & mediantibus versionibus Scripturae Arabicae variorum locorum sensus genuinus confirmetur; ritus etiam veteres Arabum, Israelitarum antiquorum idololatriam illustrent, certe multum utilis est.
- (i) Nam & haec radices quasdam restituit, atque offert versionem antiquam admodum & egregiam.
- (k) Scilicet respectu certorum quorundam Scripturae locorum & ad intelligentiam vulgari majorem.
- (l) Unde vis enunciationum & affectionum earum in textu cognoscitur; ratio item consequentiae & status quaestionis. v. g. exclusivae enunciationis Gal. I. v. 8. 9. c. II. v. 21.
- (m) Occurrunt enim in Scripturis tropi & schemata plurima, v. g. Metaphora, Gal. III. v. 1. Allegoria c. IV. v. 19. Epistrophe c. III. v. 4. 10. 20. παρηγορίων c. II. v. 19. Communicatio c. III. v. 2. Exclamatio c. III. v. 1, Correctio c. II. v. 21.

(n) Me-

- (n) Metaphysices, quoad usum terminorum, cause & effectus, necessarii & contingentis. Gal. II. v. 16. ex aliquo justificari, est, illud esse causam justificationis impulsivam principalem, vel minus principalem. Physices ad ea loca explicanda, quae res naturales, earumque affectiones proponunt, & nonnunquam ad spirituales rationem obumbranda adhibent. v. g. Gal. IV. v. 18. ubi doctrina de generatione hominis aut formatione fetus ad designandam conversionem hominum adhibetur. c. V. v. 9. c. VI. v. 7. 8. Matheseos & plerarumque ejus partium quoad voces aut phrasas illuc pertinentes. v. g. Gal. VI. v. 16. c. I. v. 21.
- (o) Ethices, imprimis quoad doctrinam de principiis actionum humanarum, de affectibus, de justitia & jure, de amicitia. Vid. Gal. II. v. 12. c. III. v. 15. c. IV. v. 18. c. V. v. 16. politices cum alias, tum Epistolâ citata, quo ad doctrinam de societatibus paterna & herili, vid. c. III. & IV. passim.
- (p) Et oculorum ejus duorum (Chronologiae & Geographiae: quae alias suo modo ad Mathesin referuntur) Ita Historia sacrorum & constitutionum Judaicarum, cum primis Pharisaeorum, Gal. I. v. 14. Notitia de Diis Gentilium praesertim Syrorum ad c. IV. v. g. notitia Palaestinae & regionum adjacentium ad c. I. v. 17. 18. 21. c. II. v. 11. Chronologiae studium ad c. III. v. 17. explicandum facit.
- (q) Ad analogiam fidei recte tenendam & accurate sectandam.
- (r) V. g. Jurisprudentiae quoad doctrinam de testamentis c. III. v. 15. de adoptione c. IV. v. 5. Medicinae tum quo ad morbos, quorum in scripturis fit mentio; tum alias quo ad Botanicam, Anatomicam, Chirurgiam & Pharmaceuticam: imo & opificum quasdam artes & nomenclaturas.
- (s) Unde non solum, quod in uno loco concisus, & obscurus, alibi plenius, & prolixius traditum est, invenitur; verum etiam quoad summam, scopum & connexionem integrorum scripturum subsidium egregium petitur.
- (t) Non solum oculi plus vident, quam oculus, sed & pro varietate requisitorum memoratorum, & praesente defectu suppellectilis domesticae saepe mutuo peti debent, quibus domi egenus: Licet nec

servili obsequio aut intempestiva credulitate alii sequendi sunt; nec desidia occasio hinc petenda.

- (u) Ita quidem, ut velit *ęservav* scripturas; & a vago studio alienus his inhereat, quę & quo ordine & quamdiu tractari debent.
- (x) Non solum quia habitus assentiendi supernaturalis pręrequirit in voluntate habitum pię affectionis; verum etiam, quod Deus aliquando indignis etiam naturali dona denegat, ac turpiter eos labi permittit.
- (y) Qua maxime opus est ad temeritatem ac novitatis studium pręposterum evitandum, & caute in negotio sacro progrediendum.
- (z) Quibus & naturalia & supernaturalia dona impetrari debent.
- Jac. I. v. 5.

§. 10.

In istis autem, quę diximus, studiis, opus est non solum suppellectile & delectu librorum; verum etiam vivę vocis doctrina & exercitio; privatisque meditationibus & repetitionibus frequentissimis. Atquę hic quidem & quod speciatim ad studium linguarum attinet, breviter monemus (a) post *Grammatices* (b) tyrocinia & perlustrata dicta quędam facilliora (c), *radices* etiam vocum memorię impressas (d), applicandum esse animum ad *idiotismos* styli scripturę addiscendos (e); jungenda etiam esse *Lexica* (f) & *Concordantias* (g), quę vocum diversa significata & emphases monstrant. (h) Quoad *Philosophicas* disciplinas danda est opera, ut non solum pręcepta accuratiora, sed & exempla ex scripturis defumpta mox una discantur, aut suppositis pręceptis generalioribus mature dispiciatur, qua ratione eadem in Scriptura sacra se exerant: (i) In *Historia* studio observandum est, ut non solum generalem acquiras notitiam pręcipuarum periodorum & locorum; sed & distinctiorem, quoad historias Patriarcharum, populi Israelitici peregrinantis, Judicum item ac Regum, Captivitatis Babylonicę, ac deinceps usque ad Christi ætatem; imo porro, saltim usque ad finem seculi primi post natum Christum. (k) Videndum etiam, ut *συγγενομεις* rerum exoticarum, quarum quidem nexus est cum sacris

sacris (l), locorum item notitiam & migrationes Gentium
 teneas: (m) Speciatim etiam consulendi sunt scriptores, qui
 de Republica Judæorum (n), deque sacris & ritibus eorundem
 (o) ac de idololatria gentilium scripserunt. (p) In
 ipsa autem Lectione Scripturæ sacræ, quoad vernaculum
 quidem sermonem seu *versionem Lutheri*, codex emendatus
 nec nimis molis, typis etiam mediocribus constans, qui
 oculos non offendant, perpetuo usurperur. (q) Lectiones
 autem dispescantur non tam pro æquali numero capitum,
 quam quoad integras periodos aut partes Librorum, ne divel-
 lantur, quæ rectius conjungi debent. (r) Quoad *fontes*,
 in Hebræo quidem codice *Aria Montani* editio præstat. (s)
 in novo Testamento editiones *Bezae*, *Stephani*, *Erasmi* &
Curcellai. (t) Quoad *interpretes* ipsos, primum quæren-
 dus est, qui universum scripturæ codicem breviter & accu-
 rate exponat. (u) Deinde addendi sunt circa libros singulos,
 aut saltem præcipuos, commentatores præstantiores (x).
 Observandum autem circa usum eorum, partim cujus reli-
 gionis homines sint, partim quo tempore vixerint, quo ge-
 nere eruditionis inprimis excelluerint &c. scilicet ut pruden-
 ter atque caute tractentur, non autem credatur his, quæ sus-
 pecta aut falsa sunt (y). Neque vero etiam negligendi sunt,
 qui miscellanea ad Exegefin sacram facientia consignarunt,
 (z) & qui præcepta interpretationis hætenus tradiderunt
 (aa). In conficiendis autem *locis communibus* Exegeticis ea
 cumprimis via ineunda videtur, ut eligatur codex Biblicus
 molis minoris, & marginem puriorem habens, dehinc seor-
 sim compingantur quaterniones aliquot chartæ puræ; aut
 volumen quoddam ejus, sive in forma quarta, sive in folio.
 Hic confignentur, quæ apud auctores quosvis notari digna
 & ad explicationem dicti cujusdam Biblici facientia observa-
 ta fuerunt; confignentur autem sine ordine librorum, ca-
 pitum & versuum Biblicorum, sed tamen liber, caput, ver-
 sus, vel etiam verbum illud, aut phrasis versiculi, de qua
 agit observatio, vel sub initium lineæ ac periodi, vel in mar-
 gine annotetur; relinquatur autem ad locum eundem, ut alia

alibi obvia, eodem referri possint, spatium majus minusve, prout circa locum magis vel minus difficilem aut pluribus interpretum sententiis obnoxium plura vel pauciora observari & colligi posse videntur: Minimum autem fit spatium tertiæ vel quartæ partis paginæ unius in forma quarta. Porro paginæ quaternionum aut voluminis illius, dum inferibuntur observationes, una opera numerentur, atque hi numeri paginarum denique inferantur codici isto biblico, quem diximus; ita quidem, ut ad marginem ejus versiculi, aut partis ejus, ad quam spectat observatio, referantur. Et sic erit index omnium excerptorum sine magno labore conficiendus, & sine confusione usurpandus. Sed in ipsa ratione excerptendi observetur, ut aliquando, & brevitas quidem studio, tantum nomina Auctorum & loca, præsertim, ubi prolixius de certo loco scripturæ agitur, atque allatis diversis interpretationibus, ultro citroque disputatur; aliquando autem perspicuitatis majoris ac memoriæ causa, summa interpretationis aut discursus nervose comprehensa scribatur; & quoad varias interpretationes opera detur, ut in libro Excerptorum cuius interpretationi loci signati spatium peculiare relinquatur; atque ita sæpe saltem nomina Auctorum consentientium conjungi, dissentientium autem distingui possint. Excerptantur autem non solum rariora, verum etiam & velut in primis, quæ ad receptionem & verio rem interpretationem confirmandam aut illustrandam faciunt, & quia nonnunquam in libros admodum raros & vix alia occasione iterum consulendos incidimus, si quid alias infrequens & notatu in primis dignum illic deprehenditur, non pigeat integros discursus exscribere, sed in alium peculiarem librum Adversariorum commodius forte referendos, cujus paginæ in priore illo volumine non minus, ac si alterius cujusdam certi auctoris aut libri essent, memorentur.

NOTE.

- (a) *Quæ enim prolixius dici poterant, Magistris linguarum ar-
tiumque & scientiarum relinquenda potius, quam a nobis hic
tradere.*

tradenda videntur. Interim quoad studium linguarum videri possunt, quae quoad compendia & systemata Grammatica, lexica item & libros alios conjungendos collecta exhibet. Dr. D. Augustus Pfeiffer in Introductione in Orientem. Dissert. 2. *Quaest.* 6. 7. 9. & 11. itemque in proemio Dissertationis tertiae.

- (b) Ubi fere discentes primum contentos esse oportet his, quae a Praeceptore commendantur; postea tamen aliunde suppleri debent, quae hactenus defuerunt, v. g. ex Glassii Auctuario Institutionum Avenarii parte tertia, & Wasmuthi Ebraismo restituto.
- (c) Ex parvis Bibliis, quae vocant, aut compendio Biblico duplici Joh. Leusdenii, ubi ex 23702. versiculis Veteris Testamenti tantum 2289. & ex 7959. Novi Testamenti versiculis tantum 1900. habentur, qui tamen omnes voces primitivas & derivativas continent. Prodiervunt Ultrajecti anno 1673. & 1675.
- (d) Saltem potiores initio, ad quas, itemque voces derivativas facilius discendas praeter lexica & syllabas, ipsa compendia Biblica prodesse possunt, & forte ex his jucundius discuntur, cum servilis magis sit opera, puerorum instar, juxta alphabeti seriem discere.
- (e) Juxta canones, ex parte tertia & quarta Philologiae Sacrae Glassianae rectissime petendos, aut ex parte secunda Clavii Flacianae; Sennerti Centuria Canonum de idiotismis Orientalium linguarum, item Briani Waltoni explicatione idiotismorum Linguae sanctae in Apparatu biblico p. 99. seqq. De stylo Novi Testamenti autem Thomas Gatakerus contra Pfochenium, & Joh. Vorstius de linguae sanctae Barbarismis, item Johannes Druhus ad voces Hebraicas in Novo Testamento occurrentes commentario duplici, videri possunt. Adatur D. Olearii de stylo Novi Testamenti Dissertatio Philologico-Theologica.
- (f) Quibus accensimus quoad utriusque Testamenti scripturam Criticam sacram Eduardi Leigh, Equitis Angli, quam Latine convertit ediditque Henricus a Middoch. item Lexicon Harmonicum Edmundi Castelli. a. 1669. Lugduni.

(g) In

- (g) *In quibus Buxtorfii, Conradi Kircheri & Erasmi Schmidii diligentia eminent.*
- (h) *De distinctis autem ad Bibliorum notitiam facientibus linguis & personibus videantur prolegomena specialia Waltoni in Biblia polyglotta.*
- (i) *Palman hic tribuimus quoad Rhetoricam sacram Glaffio parte quinta Philologiae sacrae: quoad Logices usum Cornel. Martini in Analyfi Logica: quoad ejusdem, ut & Physices & Metaphysices usum Keslero in examine Logices, Physices & Metaphysices Photinianae. Speciatim quoad Physicam Francisci Valesii Philosophia sacra; Frantzii Historia animalium, & magis Samuelis Bocharti Hierozoicon, Vrfini arboretum biblicum, legi merentur. Quoad Mathefin speciatim hic memoramus libellos de ponderibus & mensuris in apparatu biblico Waltoni.*
- (k) *Et hic quidem incipientibus commodissimum fuerit compendium historiae Ecclesiasticae, quod in usum Gymnasii Gothani concinnatum est, neque contemnenda sunt Hornii compendia, & syntagmata Micrelii. Adhiberi autem deinde possunt Jacobi Saliani Annales sacri; quoad Chronologiam autem praeter Sethi Calvisii, Abr. Bucholzeri & Joh. Funccii operas, Joh. Scaligeri Annot. ad Euseb. Chron. & Canones Isag. Chronol. de emend. temporum. Dion. Petavii de doctrina temporum, Chr. Helvici Theatrum Histor. Chronolog. Jac. Usserii Annales V. & N. T. it. Chronologia Sacra V. T. Oxon. 1660. Chr. Ravii Chronologia Biblica. Kil. 1670, inprimis vero Ludovici Capelli Chronologia sacra a mundo condito usque ad ultimam Judaeorum per Romanos captivitatem. Paris. 1655. utilis esse potest.*
- (l) *Pertinent huc non solum Scriptores memorati magnam partem, & qui historias universales scripserunt, Johann. Cluverus, Christianus Matthiae, alique; verum etiam praeter ceteris Jacobus Usserius, ejusque Annales Veteris Testamenti a mundo condito una cum rerum Asiaticarum & Aegyptiacarum Chronico a temporis historici principio, usque ad Maccabaeorum tempora, & porro in peculiari volumine de Maccabaeica & Novi Testa-*

- Testamenti historia usque ad Vespasianum. Prodiit Londini anno 1650. & 1654, Augustini Tornielli Annales sacri & ex profanis præcipui, ab orbe condito usque ad natum Christum. Antwerpæ anno 20. Jacobi Capelli Historia Sacra & Exotica ab Adamo usque ad Augustum. Sedani anno 13. hujus seculi. Joh. Marshami Canon Chronicus Aegyptius, Hebræus & Græcus, Lipsiæ editus anno 1676. prius Londini anno 72.*
- (m) *Ubi primas partes tribuimus Samueli Bocharto ejusque Geographiæ sacræ. Accedant Quiistorpii Nebo, unde tota perlustratur terra sancta. Rostochii anno 63. Flacii P. II. Clav. Tract. VI. p. 596. de situ Cananæ & forma Hierosolymæ. Heidmanni Palæstina. Itinerarium Bartholomæi a Saligniaco; Adrichomii Theatrum terræ sanctæ. Colon. 1590. & Annotationes in illud Jac. Bonfretii, itemque Animadversiones Joh. Lightfoothii, quæ apud Waltonum extant in Apparatu p. 109. sqq.*
- (n) *Quales sunt Bonaventura, Cornelius Bertramus, Carolus Sigonius, Petrus Cunæus, J. Stephanus Menochius de Hebræorum Republica, Calovius de statu Judæorum Ecclesiastico & Politico.*
- (o) *V. g. Buxtorfius in Synagoga, Seldenus de Jure naturæ & gentium juxta disciplinam Hebræorum, item ejus Uxor Hebræa, & Tractatus de Successionibus in bona defunctorum. Franzii Schola sacrificiorum, Outramius de sacrificiis Judæorum & Gentilium, Geierus de luctu Hebræorum.*
- (p) *Vid. Seldenus de Diis Syris, Vossius in Theologia Gentili, it. breviter Historia Ecclesiastica Gothana lib. 2. cap. 1. Addatur Joh. Fabricii dissertatio de Cacozelia Gentilium, quæ inserta est dissertationibus Academicis Dillherri Part. II. p. 166. sqq.*
- (q) *Scilicet ad memoriæ localis, quam vocant, facilitatem, atque hic præ cæteris commendabiles sunt editiones Wittebergenfes in forma octava majore; post has etiam Luneburgenfes in eadem forma; imo Veteres Wittebergenfes & Luneburgenfes in forma quarta.*

C

(r) V.

- (r) Videantur Tabellæ Biblii Vinaricnsibus & Wittebergensibus recentius editis præmissæ: Franzius de interpretatione scripturæ p. m. 5. Hyperius in peculiari opusculo de lectione scripturæ.
- (s) Propter versionem interlinearem, ubi voces vocibus respondent, & radices in margine expressas.
- (t) Illic enim partim à *Beza* typographica, partim quoad *Beza* quidem editionem majorem, notæ Criticæ, partim, & imprimis in editione *Curcellæi* variæ lectiones breviter & erudite indicatæ, peculiarem usum præstant.
- (u) Qualia sunt Biblia glossata *Ernestina*, & *Lucæ Osiandri* Paraphrasis perpetua, quæ nunc non solum Latine, sed & Germanice legi potest. Nec inutilis est *Lyræ* paraphrasis, & *Rauppii* opera in parte tertia Bibliothecæ portatilis; Pertinent autem hæc etiam aliorum prolixiora volumina in universam, aut pene universam scripturam. v. gr. Ex Pontificiis *Cornelius a Lapide* ejusque abbreviator *Tirinus*, item *Emanuel a Saa*, Ex Reformatis *Calvinus* & *Piscator*. Hodie autem *Matthæus Polus* cum sua Synopsi Criticorum aliorumque sacre scripturæ interpretum imprimis celebratur. Quibus accedunt Biblia Critica Anglicana. Sed tyronibus priores illæ paraphrases aliquandiu sufficiant; Caterorum operum lectio postea utiliter sequi potest.
- (x) Quos indicabunt, si *Veteres quæras Patres*, & *Patrum ætatem* mox secutos *Doctores*, *Bellarminus* sub finem libri de scriptoribus Ecclesiasticis, & *Sixtus Senensis* in Bibliothecæ sanctæ p. 393 sqq. Eisdem & recentiores magno admodum numero exhibet *Joh. Henricus Hottingerus* in Bibliothecario Quadrupartito l. 1. c. 6. p. 181. sqq. Videntur autem ex Commentatoribus recentioribus in singulos scripturæ libros præ cæteris utiles esse in *PENTATEUCHVM* quidem *Ant. de Escobar* & *Mendoza Lugd. 1652. fol.* *Bonfrerius*, *Antwerp. 1625.* *Joh. Brentius*; *David Chytræus*; *Varenius*, & *Joh. Adam Osiander*. In *Genesin* post *Lutherum*, *Sellneckerum* & *Gesnerum* *Gerhardus* maxime; & post eum *Joh. Ferus*.

Quin

Quin & Andreas Rivetus, Lugd. 1633. in 4to, in priores duos libros Moſis. In Deuteronomium laudatus Gerhardus, In JOSVÆ, JUDICVM & RVTH, libros itidem, Chytræus & Brentius; ſpecialim in JOSVAM Balduinus; in RVTH Johann Drufius, 4to. Amſtel. 1632; in libros SAMVELIS & REGVM itemque CHRONICORVM Fr. de Mendoza fol. 1629. Petrus Martyr & Caſpar Sanctius; In ESTHER Joh. Drufius; in JOBVM Bolducius. 1637. fol. Joh. de Pineda, 1600. Col. fol. Hottingerus, Tig. 89. D. Sebaſtianus Schmidius & Mercerus. *Quibus addi poteſt* Hiſtoria Jobi Auctore Friderico Spanhemio. In PSALMOS, PROVERBIA & ECCLESIASTEN vel ſolus ſufficere poteſt D. Geierus; Laudandi autem etiam ſunt in PSALMOS Selneccerus, Geſnerus, Simon de Muis, Tarnovius in *Psalmos* paſſionales, penitenciales, graduum & plures aliquot; in PROVERBIA & ECCLESIASTEN Mercerus; in CANTICVM CANTICORVM Gerhardus in Poſtilla Salomonea, itemque Michael Giſlerius commentarium exhibens aliorum veterum interpretum operas continentem. In ESAIAM Brentius, Schnepſius, Forſterus, Varenius, Sanctius; In JEREMIAM Bugenhagius, Brentius, Oecolampadius, Hülſemannus; in THRENOS Drufius & Tarnovius. In EZECHIELEM Joh. Bapt. Villalpandus, Rom. 1616. T. III. fol. Sanctius & Coccejus, quibus addi poteſt Templum Haſſenrefferi. In DANIELEM præcipue Geierus, ſed & Geſnerus, Sanctius & Heſtor Pintus. In PROPHETAS MINORES Johannes Schmidius, Johan. Tarnovius, Fr. Ribera. Col. 1593. fol. Joh. Drufius, Amſt. 1607. 4to; in HOSEAM ſeparatim Joh. Henr. Urſinus, Andr. Rivetus. Lugd. 1625. 4to; in JOELEM & ſequentes plures Winckelmannus; in AMOS & JONAM Gerhardus; in JONAM Pfeiſſerus, & ex Pontificiis Joh. Baptiſta Uwenus; in MICHAM Grauerus; in HABACVC Hedefonſus de Padilla, 4to. 1676; in HAGGÆVM, ZACHARIAM & MALACHIAM, Balduinus, Bohlius Roſt. 1637. In NOVVM TESTAMENTVM Erasmii paraphraſis &

Et notæ contemnendæ non sunt. In libros Historicos, i. e. EVANGELISTAS & ACTA, diversorum Virorum doctissimo- rum notas collegit Antonius Wallæus. Quibus addi possunt Horæ Hebraicæ & Talmudicæ Joh. Lightfoothi. Inprimis vero Commentarii in Evangelistas integri & orthodoxi ratio- nem habere potest liber insignis Harmoniæ Evangelicæ Chemnitio-Lyfero-Gerhardinæ. Neque Cornelius Jan- senius, Georgius Calixtus & Christ. Althoferus negligendi, qui similes, & posteriores quidem breviores, Harmonias edi- derunt. Ex Pontificiis Maldonati Commentarius in quatuor Evangelia legi meretur. Speciatim in MATTHÆVM Joh. Gerhardus, David Chytræus & Joh. Ferus Pontificius. In LVCAM Didacus Stella; in JOHANNEM Paulus Tar- novius; in MATTHÆVM & JOHANNEM Ægidius Hun- nius; in omnes illos tres Brentius; in ACTA APOSTOLO- RVM B. Gerhardus, & in partem Joh. Tobias Major. i- temque ex veteribus Erasmus Sarcerius & Selneccerus; ex Pontificiis Casparus Sanctius, Barthol. Petr. Lintrensis & Libertus Fromondus: ex Reformatis Gualtherus & Hot- tingerus. In EPISTOLAS PAVLI omnes, Hunnius, Bal- duinus, Eilhardus Lubinus & Christ. Chemnitius; ex Pontificiis Guil. Estius; in plerasque, quoad expositionem literalem, Calixtus. Speciatim in eam, quæ est ad ROMA- NOS, Philippus Melanchthon & Georg Mylius, Jacobus Wellerus, it. Paulus Röberus; ad GALATAS post Luthe- rum, Andr. Kunadus; ad EPHESIOS Meno Hanecken; ad COLOSSENSES & ad TIMOTHEVM Gerhardus. In Epistolas CATHOLICAS omnes Hornejus; in eam, quæ est ad HEBRÆOS, seorsim Gerhardus. In Epistolam JACOBI Brochmandus; in PETRI utramque Gerhardus; in Epi- stolam JVDÆ, idem, ut & Joh. Stumpfius. In APOCA- LYPSIN præcipue D. Matthias Hoe; præterea Kromaye- rus, Gerhardus, Cluverus, Chytræus & Winckel- mannus; ex Pontificiis Blasius Viegas & Libertus Fromon- dus.

(y) *Aliàs*

- (y) *Alias enim præjudicia, quibus ipsi laborant interpretes, & errores, quos sepe regunt, non satis cavebis, neque, quousque illos tuto sequi possis, facile intelliges. Itaque etiam utile est, legere præfationes librorum, & annotare iudicia aliorum, ubi occurrant; facit etiam ad eam praxin libellus A. 1672. Londini editus Guil. Crowæi, quem vocat Elenchum scriptorum in S. scripturam, tum Græcorum, quam Latinorum, exhibentem eorum genus, patriam, professionem, religionem, librorum titulos, volumina, editiones, &c.*
- (z) *V.g. Christophori Helvici vindicatio locorum potissimum Veteris Testamenti; Andr. Althammeri conciliatio locorum scripturæ, qui specie tenus inter se pugnare videntur; Georg. Königii Vindicæ; Joh. Tarnovii Exercitationes; Hackspanii Notæ ad difficiliora loca scripturæ; Sebast. Schmidii collegium Biblicum Veteris & Novi Testamenti; Glassii Onomatologia Messia cum adjectis; Heinssii Exercitationes sacræ ad Nov. Test. Jac. Capelli Observationes in Nov. Test. Augusti Pfeifferi Dubia vexata Vet. Test. Hackspanii Sylloge Disputationum Academicarum; Danielis Fesseli Adversaria sacræ; Spanhemii Dubia Evangelica; Abrah. Sculteti Exercitationes Evangelicæ; & qui Adagia aut proverbialia sacræ ediderunt, Drusus, Andreas Schottus, Martin. Ant. Delrio, Joh. Vorstius & alii.*
- (aa) *Vid. post Flacium; & quæ ille collegit ex veteribus Scripturibus, Frantzius & Gerhardus de Interpretatione scripturæ sacræ; Casp. Finckii; Dannhaueri Hermeneutica sacræ; Groschianii epitome Hermeneutica; Olearii Systema Exegetica, quod habetur in opere ejus universæ Theologiæ. Ex Pontificiis videri possunt Cornel. a Lapide quoad regulas, quas exhibet in Prolegomenis Commentarii ad Prophetas majores: Ex Reformatis Andreas Hyperius in Tract. de Theologo, & de lectione scripturæ sacræ.*

§. II.

Definitur Theologia Exegetica docens, quod sit scientia

Practica, ex lumine rationis partim, partim ex ipsa revelatione divina, docens ea, quæ ad cognoscendam naturam & perfectionem bonæ interpretationis sacrarum literarum, aut assequendum & tradendum verum sensum verborum divinorum pertinent, ædificationis animarum & salutis æternæ causa. Theologia Exegetica *utens* est ars interpretandi Scripturam sacram, seu assequendi & tradendi aliis accurate sensum verum ac genuinum verborum divinorum Scripturæ sacræ propter ædificationem hominum & vitam æternam.

§. 12.

Itaque quod ad ordinem tractandi Theologiam Exegeticam *docentem* pertinet, primum de *sine*, postea de *subjecto operationis*, tertio de *mediis* agendum venit. Sed quia de *sine* pariter, & *subjecto operationis*, quantum opus erat, factis hæcenus dictum est, sequens opera nostra occupabitur in tradendis, quæ ad finem illum per modum mediolorum se habent, seu de præceptis ipsis bonæ interpretationis. Ac primo quidem dicemus de sensu in genere, ejusque divisionibus; deinde de præceptis, quæ scripturæ S. simul & aliorum scriptorum bonæ interpretationi sunt communia; tertio de his, quæ scripturæ S. sunt propria.

CAPUT. II.

De

Sensu Scripturæ Sacræ ejusque divisionibus.

§. 1.

CUM sensus cujuslibet dicti aut scripti sit conceptus (a) mentis, dicentis aut scribentis, quem per dictionem aut scriptionem, tanquam per signum (b) externum, manifestat.

manifestat; fatendum est, scripturæ Θεοπέυς esse aliquem sensum (e) eumque certum ac determinatum (d).

NOTÆ.

- (a) Sic apud autores classicos, voces, sensus & sensa pro conceptu mentis accipiuntur. Vid. Cicero in Quæstionibus Academicis & libro de Oratore, Terentius item in Adelphis. Græcis δῆλολα dicitur, quem Latini sensum vocant; vid. Plutarchus in symposio septem sapientum.
- (b) Nempe conceptus mentis nostræ sunt signa aut imagines rerum; voces signa conceptus, literæ scriptæ vocum. Vid. Philosophus libro περὶ ἐρμηνείας & Soterus in Commentario.
- (c) Per eam enim hominibus revera loquitur Deus, i. e. conceptus mentis suæ divinæ illis manifestat.
- (d) Hoc enim est de natura verborum tanquam signorum a sapiente prolatorum.

§. 2.

Solet autem vulgo dividi sensus scripturæ in *literalem* & *mysticam* (a). Literalis iterum vel strictius accipitur pro eo, quem verba vi propriæ & nativæ significationis suæ pariter & ex intentione loquentis significant; (b) vel latius, prout præscindit a propriâ & impropria significatione vocum, & dicitur literalis, qui & quatenus per literam vel voces ex intentione loquentis proxime significatur (c). Mysticus dicitur, qui non per verba immediate significatur, sed per res verbis significatas, quatenus illæ sunt aliarum rerum figuræ aut signa (d). Unde etiam haud difficulter patet, sensum scripturæ per prius dici de literali, per posterius & minus proprie de sensu mystico (e). Patet etiam, sensum literalem unius dicti non esse nisi unicum (f).

NOTÆ.

- (a) Vel in *literalem* & *spiritualem*; in *historicum* & *mysticum*; in *immediatum* & *mediatum*.
- (b) Dicitur

- (b) Dicitur alias proprius aut simplex, & a figurato & tropico distinguitur.
- (c) Fit enim aliquando, ut sensus, qui propria significatione verborum respondet, locum non habeat, adeoque literalis sensus is sit, quem verba figurata ex contextu recte intellecta, & in simplicem dictionem conversa, important. Unde & alter ille non tam literalis, quam literæ sensus a quibusdam vocatur. Exemplum sensus literalis habetur Galat. II. v. 1.
- (d) Exemplum vide Galat. IV. v. 22. seqq.
- (e) Qui non tam est sensus verborum, quam rerum, verbis significatarum, ad res alias significandas accommodatio, ex intentione tamen ipsius loquentis.
- (f) Loquitur enim Deus modo humano, & verbis ex usu loquendi consueti desumptis, adeoque sicut in omni lingua atque omni genere locutionis usu receptum est, ut per verba una & eadem, in uno eodemque contextu semel posita, autor non nisi unum sensum significare intendat; sic & Deum non nisi unum sensum uno dicto significare velle, credi potest ac debet.

§. 3.

Mysticus tamen sensus, quem vocant, dividi potest (a) in Allegoriam specialius sic dictum, (b) Typicum & Parabolicum. Et typicus quidem dicitur, quando in verbis scripturæ res quædam occulta aut futura repræsentatur per rem aliam externam aut visionem propheticam, ad id per se destinatum, ut rem ipsam significet (c). Allegoricus dicitur, quando res spiritualis per aliam qualemcunque historiam, aut rem vere gestam & in scripturis narratam, significatur (d). Parabolicus, quando res spiritualis significatur per rem aliquam, quæ ut gesta narratur, aut fingitur potius, cum gesta aut taliter gesta non fuerit (e)

NOTÆ.

- (a) Pro diversa ratione significandi; quod fundamentum distinctionis negligendum non est: Alias enim distingui solet sensus mysti-

mysticus, præsertim a Pontificiis, pro ratione rerum significatarum, in Allegoricum, Tropologicum & Anagogicum: sed nec fundamentum distinctionis illius ad præsens multum facit; nec distinctio ipsa adequata est.

- (b) Alias enim Allegoria etiam typos & parabolas suo ambitu continet.
- (c) Videatur Gal. III. v. 13, Ubi habetur sensus typicus loci Deut. XXI. v. 23. Conf. Glaff. l. 2. Philol. S. Part. I. Tr. 2. sect. 4. Can. 7.
- (d) Exemplum ejus habetur Galat. IV. v. 24. 25.
- (e) In nostra, seu Pauli ad Galatas Epistola exemplum non occurrit; frequentissime autem in concionibus Christi. Vid. Glaff. sect. 5. art. 4. can. l. 2. p. 344.

CAPUT III.

Quò

Generaliora bona interpretationis præcepta traduntur.

§. I.

Maximè omnium attendendum est (a), quomodo super verba loquentis naturali concipiendi modo communiter feratur omnium intellectus, atque is tamdiu pro vero sensu habendus, neque ab eo recedendum est, nisi evidentissimè ostendatur ratio recedendi fixa, cogens & irrefragabilis (b).

NOTÆ.

- (a) Vid. Lutherus in lib. de Captivitate Babylonica; itemque D. Musæus in vindiciis Bibliorum Ernestinorum, diff. II, §. 37.
- (b) Alias enim omnis certitudo, interpretandi dicta aliorum, tolleretur, si verba ex instituto significantia non essent necessario acci-

accipienda in eo sensu, quem ex instituto non unius hominis, sed communi hominum, significant.

§. 2.

Deinde respiciendum est (a) ad contextum verborum & considerandum, quis loquatur; quis sit *scopus* sermonis; quæ occasio aut causa impulsiva; quis *locus* & *tempus* (b).

NOTÆ.

- (a) Vid. Hilarius l. 4. de Trinit. p. 37. §. l. 9. p. 119.
 (b) Quando nimirum dicuntur aut scribuntur aliqua, neque unâ periodo aut commate distinctè satis exprimi possunt, aut brevitatibus studio exprimenda non esse videntur, vel supponitur a loquente, quod jam adsuit, aut alias de sua persona, occasione loquendi, scopo & cæteris constat; vel ad plenum sensum inveniendum vult ipse expectari ab auditore & lectore, donec sermonem totum perceperit.

§. 3.

Ex iis locis, ubi de dogmate, aut historia, aut quæstione quacunque plenius expressè agitur, quærenda est interpretatio aliorum locorum, ubi concisius aut obscurius res eadem tractatur (a).

NOTÆ.

- (a) Vid. Chemnitius de fundamentis Cœnæ c. 2. p. 18. 19. Diericus in Institutionibus Catecheticis de Script. S. §. Speciatim de regulis interpretationis Scripture, num. 5. 6. 7. & loca Patrum ibi citata.

§. 4.

Sicut voces quælibet ex instituto significant; ita variantibus Dialectis unius linguæ attendendum est ad eam (a) quæ loquenti, aut iis, quos alloquitur, familiaris est.

NOTÆ.

NOTA.

- (a) Cavendum tamen est, ne præceptum hoc justo latius extendatur, ita ut peccetur contra priora, & imprimis secundum. Alias autem de vi & usu hujus regule videantur Auctores, quos supra citavimus, de stylo Scripturæ, præsertim Novi Testamenti.

§. 5.

Termini reales, seu ad certum genus disciplinarum realium pertinentes, ex illa disciplina exponi debent, ad quam propriè pertinent (a).

NOTA.

- (a) Vid. B. Dannhauerus in idea boni interpretis p. 36. Observandum tamen & hic est, non ideo, quod significatio terminorum realium ex disciplina domesticâ peti debet, res ipsas, quæ in Scripturis occurrunt, planè æstimandas esse ex naturâ earum rerum, quæ in talibus disciplinis humanis occurrunt.

CAPVT IV.

Quo

Præcepta interpretationis Scripturæ propria traduntur.

§. 1.

Sicut autem Scriptores sacri non sua propria, sed Dei verba scripserunt; ita & lector eorum non sua propria interpretatione potest uti (a), sed ad hoc omni studio debet attendere (b), quomodo sua verba voluerit intelligi ipse, qui scripsit.

NOTA.

- (a) Est hæc regula Bedæ in Comment. 2. Petr., I. v. 20. ubi Petrus

trus dicit: Prophetiam seu revelationem Spiritu prophetico factam & scripto comprehensam, sicut non ex ingenio aut arbitrio humano, sed ex peculiari inspiratione Spiritus Sancti proficiscitur, ita eam non ex ingenio aut arbitrio nostro, sed congruenter auctori scripturæ Deo, exponi debere.

- (b) Adeo que cogitare, sapientissimum esse auctorem, omnipotentem esse, veracissimum esse, & haud dubie custodem scripturæ suæ constantissimum; ac propterea cavere, ne ulla admittatur interpretatio, quæ vel lapsus memoriæ tribuat scriptoribus, vel nitatur mutatione literarum & vocum, aut distinctionum; velut ex hypothesi corruptorum fontium.

§. 2.

Quia non solum peculiaris revelatio eaque gravissima est, quam Deus in Scripturis nobis exhibet (a): verum etiam Deus ipse toties testatur, se in Scripturis mysteria (b) exhibere; ideo cum Scriptura res divinas exponit, aut aliquid mandat, instituit, vel promittit, accuratissimè retinenda est propria & usitata verborum significatio, licet quod hoc modo intelligitur, exemplo careat, aut usitatum ordinem excedat, & fieri non posse, aut alias ridiculum & ineptum videatur (c).

NOTÆ.

- (a) Quæ scilicet a communi illa, quam lumen naturæ suppeditat, Dei & rerum divinarum manifestatione, distincta & velut extraordinaria est, nec præsumi potest a Deo adhiberi, nisi Deus res alias nobis ignotas, atque humanarum terrenarumque rerum indole differentes adeoque captum rationis nostræ excedentes, manifestare voluisset.
- (b) Vid. 1. Cor. I. v. 23. cap. II. v. 7. 1. Tim. III. v. 16.
- (c) Nisi videlicet manifestissima & sole clarior contradictio admittenda sit, si literæ inbecas; vel contextus ipse doceat atque urgeat, a litera recedendum esse.

§. 3.

Cum scripturæ a Deo profectæ hæud dubie summa & accuratissima sit harmonia (a); Certum etiam sit, quod Deus capita fidei & morum scitu necessaria perspicuis & claris verbis enunciaverit (b): danda est opera, ut perlustrando totam scripturam, mox inde discamus summam quandam cœlestis doctrinæ, atque hac & singulis ejus partibus probe cognitis, deinceps in quorumvis aliorum scripturæ dictorum interpretatione sic versentur, ne ullum ulli dicto tribuamus sensum, nisi qui cum istis scripturæ capitibus totaque summa suaviter conveniat (c).

NOTÆ.

- (a) *Quidni enim verba sapientissimi ac veracissimi numinis ita cohercant, ut nulla vel levissima pugna locum habere queat.*
- (b) *Nempe ut scriptura esset lucerna pedibus nostris, vid. Psal. CXIX. v. 105. 2. Petr. I. v. 19.*
- (c) *Hoc enim est prophetiam fieri κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, seu respondere aut congruere doctrinæ fidei hæctenus cognite, tanquam normæ aut regulæ, ex Rom. XII. v. 7. Et sic Paulus ipse Galatas docet, falsam esse illam interpretationem Scripturæ, qua necessitas observandæ circumcissionis Christo jam exhibitio imponebatur hominibus; cum Christiana doctrina de justificatione non nisi per fidem in Christum impetrandâ, ac lege veteri per Christum abrogata, cum interpretatione ista, velut umbra corpore exhibitio, stare nequeat. Vid. cap. II. v. 2. Et cap. V. v. 4. sqq.*

§. 4.

Quando in aliquo scripturæ loco tractatur dogma fidei, quod, si literalis sensu inhæreas, ratio nostra non potest satis aptè conciliare cum dogmate alio, alibi revelato (a); non tamen ideo literalis sensus deserendus, sed utrumque dogma, juxta sensum, quem verba ex usu loquendi important ex intentione Spiritus Sancti significantia, credendum est (b).

D 3

NOTÆ.

NOTÆ.

- (a) V. g. Dogma de Christo vero Deo, cum dogmate de Christo vero homine, & contra.
- (b) Et hoc est, quod in regula precedente non diximus, analogiam fidei importare relationem unius capituli vel articuli fundamentalis doctrinæ fidei, ad alterum articulum fundamentalem; sed relationem fidei aut summæ articulorum fundamentalem doctrinæ Christianæ, ad loca alia explicanda.

§. 5.

Cum Scriptura sacra, etsi ad Oratoriæ secularis formam non adstricta (a), revera tamen careat confusione & commixtione (b) quæ in Docente vitium importat, & intelligentiam lectoris in his, quæ discenda erant, impedit (c); ac potius farendum sit, scripturam, quæ ad informationem hominum divinitus edita est, servare etiam ordinem, velut lucem orationis: propterea boni interpretis est, non solum generalem quorumlibet librorum scopum (d), adeoque & argumentum libri aut summam (e) recte tenere; verum etiam observata partitione libri, considerare cum membra ipsa, aut partes præcipuas; tum habitudinem earum ad scopum illum communem (f), atque ita porro singularem certi contextus vel periodis scopum & summam (g) investigare; orationis denique ipsius sententias primarias, aut quasi substantiales (h) accuratius perlustrare, secundariis aut accidentariis (i) una cum his quæ ad ornatum dictionis pertinent tanquam sepositis.

NOTÆ.

- (a) Dicimus non adstrictam; etsi negari nequeat, pro varietate styli, quam Spiritus Sanctus, accommodans se ad indolem scriptentium, retinuit, elegantissima haud raro ornamenta reperiri: de quibus suo loco.
- (b) Quæ videlicet res diversæ ac peregrinæ, quas seorsim tractari, declarari aut describi oportebat, permiscetur. Alias enim pos-
sunt

sunt utique narrando proponi variæ de rebus variis sententiæ, aphorismi, proverbia; non observato stricto ordine, (prout in proverbiiis Salomonis fieri solet) ut tamen ideo non admittenda sit vitiosa sermonis confusio.

- (c) Quamobrem iterum distinguenda sunt confusiones sermonis a parentibus, digressionibus &c. quas etiam Oratoria secularis admittit.
- (d) Qui nonnunquam expressius significatur in libro ipso aut titulo ejus, nonnunquam in ipso sermone, aliquando ex lectio-
ne totius demum intelligi debet. Epistole ad Galatas scopus cap. I. facile constat; scilicet quod Paulus Galatas a sinceritate Doctrinæ Evangelicæ, de gratia & salute per fidem in Christum unicè, non ex operibus legis, nedum observatione ceremoniarum veterum, impetranda, defectentes in viam revocare, & confir-
mare intenderit.
- (e) Sicut enim aliàs ex objecto & fine potissimum æstimatur actio; sic & argumentum sermonis ex scopo, & objecti ad scopum relati-
one petendum est.
- (f) Aliquando etiam & memorie causa utile est, partitionem talens redigere in tabellam, ut semper ante oculos versari queat.
- (g) v. g. an sit historia aut narratio, institutio vel doctrina; objur-
gatio, consolatio, aut descriptio alicujus rei.
- (h) In quibus tota determinatio propositiæ questionis residet, v. g. principales circumstantiæ in historia; argumenta aut rationes præcipuæ in textibus doctrinalibus.
- (i) Quæ ad amplificationem faciunt, aut ad circumstantias minus principales, aut ad vocum vel phrasum quarundam peculiarem emphasim aut enodandam difficultatem redeunt.

§. 6.

Cum Scripturæ sacræ mos sit, historias nonnunquam sic tradere uno loco, ut circumstantiarum bona pars locis aliis & narrationibus istis instituendis reservetur (a); ideo ad interpretationem textuum historicorum non sufficit, (etsi necessarium sit,) attendere ad ea, quæ in ipso habentur textu,
ut

ut & antecedentia & consequentia in eodem scripto (b), verum præterea opus est investigare alia loca, ubi eadem historia seu fufius seu concisius traditur (a), ac danda est opera, ut quæ diversimode aut sic, ut pugnare videantur, a diversis scriptoribus enarrata credi possent, concilientur tamen, & se mutuo explicent (d).

NOTÆ.

- (a) Cum a diversis Scriptoribus, loco ac tempore diversis consignarentur historie sacræ, placuit Spiritui Sancto, sicuti quoad stylum condescendere scriptoribus, ita etiam quoad res facti, uni scribendum committere, quod tamen ab altero complendum, aut distinctius quoad hanc illamve circumstantiam exprimendum esset.
- (b) v. g. Joh. II. v. 1. dies tertia non est hebdomada, aut a Sabbatho numeranda. sed a transitu Christi in Galilæam, juxta cap. I, v. 43.
- (c) Nam & cum concisus traditur historia, tamen nonnunquam exprimitur circumstantia quedam in narratione prolixiore non apparens; v. g. certamen Archangeli Michaelis cum Satana super corpore Moysi sepulti, in epistola Judæ, v. 9. non æque declarata in historia sepulture Moysi sub finem Deuteronomis.
- (d) Quam in rem inprimis utile fuerit legere Augustini libros de consensu Evangelistarum; & Chemnitii Prolegomena harmoniæ.

§. 7.

Speciatim itaque hic observandum est, 1. Scripturam non raro uni eidemque personæ duo aut plura imponere nomina, (a) 2. nomina Israelis & Judæ, qui olim Patres & Filii fuerant, postea, facta divisione regni, denotare illud quidem tribus decem, quæ alias etiam nomine *Ephraim*, *Joseph*, *Samaritæ* appellantur: hoc vero (nomen Judæ) duas tribus, *Judæ* & *Benjamin* complecti, atque alias etiam appellari *domum David*, *Jerusalem*, *Sion*: post captivitatem vero

vero Israelis & Judæ nomina denotare Judæos e Babylonia in Judæam reductos (b). 3. Nomina *plagarum*, Occidentis, Orientis, Austri & Aquilonis intelligenda esse de regionibus ac urbibus habitâ comparatione urbis Jerusalem aut totius Palæstinæ (c). 4. *Numerum plenum & rotundum* poni nonnunquam neglecto minore, qui vel excedit, vel deficit. (d) 5. Videri nonnunquam historiam eandem diversimode enarrari, ubi reverâ tamen sunt historiæ diversæ, quoad circumstantias quasdam sibi mutuo respondententes (e). 6. Cum aliquando simul regnaverint pater & filius; tempus communis regiminis nonnunquam huic, aliâs illi adscribi solet. Et similiter tempus interregni aut sedis vacantis, vel præcedenti vel sequenti gubernatori adjicitur. Solent etiam aliquando tantum computari anni regiminis pleni; aliquando autem etiam ejus, ubi resistentibus æmulis impeditum nonnihil fuit dominium. Interdum anni regiminis impiorum omittuntur, aut saltem anni illi, ex quo facti sunt impii (f). 7. Etsi ad illustrationem textuum historicorum admodum conducatur secularium historiarum collatio; cavendum tamen est, ne illos velut fallibiles ex his corrigamus (g).

NOTÆ.

(a) *Atque hæc aliquando a Deo ipso suere indita, aliquando ab hominibus, & rursus aliquando pluralitas nominum in scripturis expresse indicatur; nonnunquam a posteriori colligi debet. Vid. B. Glass, in Gramm. S. tractatione peculiari de nomine proprio: Observ. 12. 13. 14. 15. 19. quanquam & plures regule illic traditæ ad præsens faciunt, v.g. ista, quæ est de variationibus nominis ejusdem quoad literarum vel syllabarum additionem, omissionem, transpositionem, & permutationem: Observ. 4. it: de $\pi\epsilon\gamma\lambda\eta\psi\epsilon\varsigma$, quæ memorantur nomina personarum aut locorum antequam imponerentur, Observ. 10, it: de nominis unius impositione factâ personis aut locis diversis, Vid. Observ. 11. & 16.*

(b) *Vid. Waltonus in apparatu Biblico, S. 21. p. 102.*

E

(c) *Vid.*

- (c) Vid. Lutherus in præfatione in Iesaiam, Chemnitius in Prolegomenis harmonie, c. 6.
- (d) Atque hæc non solum de numero personarum, verum etiam de numero dierum, mensum, aut annorum intelligi debent. Conf. Fl. part. 2. p. 155. n. 35. Gerhard. Tr. de interpretatione Scripturæ. §. 186. p. m. 87. & quem ille citat, Augustinus quæst. 47. in Exodum.
- (e) Vid. Chemnitius in Prolegomenis Harmonie, cap. 5. n. 16. Non enim solum in historiâ Evangelistarum, verum etiam aliis hæc juvabit observasse.
- (f) Vid. Flac. Part. 2. Clavis, p. 87. n. 6. 7. & Gerhard, l. c.
- (g) Sicut enim nefas est recedere a sensu scripturæ literalis, obstantibus rationibus humanis; sic auctoritas testium humanorum tanta esse non potest, ut narrationes Θεοπνεύματος mutemus aut corrigamus.

§. 8.

In interpretandis textibus prophetis (a) nulla certior est ratio, verum sensum inveniendi, quàm ubi complementum accessit, (b) & imprimis ubi, quod olim prædictum est in scripturis Veteris Testamenti, in Novo Testamento repetitur & declaratur (c). Præterea vero notandum est Prophetas sæpè futura prædicere optando (d), imprecando (e), imperando (f), narrando tanquam præterita & præsentia (g), adhibendo etiam verba & phrasas, quibus res sui temporis ac speciatim in Veteri Testamento cultus Leviticus propriè designatur, (h) Imò & hujus vitæ res ad repræsentandas res vitæ alterius. Sæpè etiam Prophetis idem est, hoc vel illud dictum iri, aut certo nomine appellatum; atque rem aut actionem talem futuram, prout verbis declarari potest (i). Attendendum etiam est ad eam loquendi consuetudinem, quâ Prophetæ nonnunquam magis intenti sunt in affectus rerum quam in syntaxin verborum (k), & nonnihil recedunt ab usitatâ ratione loquendi.

NOTÆ.

NOTÆ.

- (a) *i. e. talibus, ubi futura prænunciantur.*
- (b) Ita irenæus & ex eo Dn. D. Musæus in *Vindictis Bibliis*. *Dissertat. I. §. 51. p. 49.* Omnis prophetia, inquit, priusquam habeat efficaciam ænigmata & ambiguitas sunt hominibus. Cum autem venerit tempus, & evenerit, quod prophetatum est, tunc prophetiæ habent liquidam & certam expositionem. *Monet autem Dn. D. Musæus, ex eventu quidem substantialia vaticinii aut prophetiæ intelligi posse, non autem æquè semper circumstantias quaslibet. Vid. Dissert. 3. §. 40. & Dissertat. 4. §. 58. 83. Conf. B. Dannhæuerus in Hermeneutica sacrâ p. 427. ubi regulæ hujus fundamentum ex ipsâ Scriptura demonstrat; & porro p. 429. ubi docet eventum vaticinii cum vaticinio conferendum, non debere carnalibus, sed spiritualibus oculis adspici.*
- (c) *Et ubi sæpe occurrit formula: Hoc est quod dixit propheta; Tunc impletum est verbum, quod dictum est per prophetam &c. de varietate autem allegationis Veteris Testamenti in Novo, paulo post seorsim dicemus.*
- (d) *Tanquam bonum absens, quod tamen sic desideratur, ut simul expectetur, aut significetur esse futurum.*
- (e) *Tanquam malum alteri inferendum; quod jam præcognoscitur esse futurum.*
- (f) *Ita ut, quod fieri iubetur, futurum esse denotetur. Exempla triplicis generis videantur apud B. Glassium lib. 1. Philolog. S. Tr. 4. Sect. 1. can. 2. p. m. 223. 224. Conf. B. Dannhæuerus l. c. p. 439.*
- (g) *Videantur imprimis verba B. Frantzii in Tract. de interpretatione Scripturæ Orac. 47. p. 450. 451. Conf. Glassius l. c. p. 226. can. 4.*
- (h) *Conf. iterum Glass. l. c. can. 5. p. 227. Tarnovius Comment. in Obadiam v. 17. p. m. 34. 35. it. in c. 2. Joëlis, v. 27. p. 116. Hackspanius Part. 2. notarum p. 770. 796. 996. 1072. 1075.*
- (i) *Conf. B. Glass. l. c. can. 3. p. 225.*

E 2

(k) Ver-

(k) Verba Frantzii sunt Orac. 56. p. 502. Conf. B. Glaff. can. 6. 7. p. 228. 229. ubi ostendit, frequens esse prophetico sermone mutare personas loquentes; esse morem prophetarum, ut sermonem suum crebro intercidant, ita, ut quedam alia inserentes, paulo post ad sermonem priorem redeant, Vid. etiam B. Dannhauerus, & quæ ex Bonfretio adducit in Hermen. Sacr. p. 361. it. ex Hieronymo & Augustino p. 440. Eodem pertinet, quod Prophete a typo ad antitypum & contra transire solent; juxta Dannhauer. p. 442. & Glaff. p. 229. can. 8. Item, quod ab unâ metaphorâ ad aliam transire solent, aut quæ prius facta sunt, quasi posterius facta per recapitulationem narrare videntur; Juxta Dannhauerum p. 440.

§. 9.

In *typorum* explicatione imprimis notandum est tertium comparationis (a), atque opera danda, ne ratio typi ultra illud extendatur (b), aut in antitypo illud statim negetur, quod in typo non fuit, (c) ac propterea, si unius rei plures sunt typi partiales, de re illa seu antitypo non ex uno sed omnibus typis conjunctim faciendum est judicium; (d) Et quia sæpè unum quiddam typus est rerum plurium ac nonnunquam rerum contrariarum; relationum differentia accurate tenenda est (e). Denique cum nomina typi & antitypi in scripturis aliquando permutentur, differentia tamen ipsius typi & antitypi ab interprete negligi non debet (f).

NOTÆ.

- (a) Seu illud, cujus ratione alterum ut typus, alterum ut antitypus ad invicem se habent. Conf. B. Du. Georg. König. in *Vindiciis locorum Scripturæ*, loc. 6. §. 3.
- (b) Sæpe enim plus est in typo (materialiter spectato) quam in antitypo; Vid. B. Glaffius l. 2. *Philolog. S. Part. 1. Tr. 2. Sect. 4. art. 7. can. 2. p. 331.* seu illi includitur can. 7. p. 334. Conf. Hackspan. in *notis ad cap. 2. Danielis p. 896.* & in *notis ad Matth. cap. 12. v. 20. p. 82.*

(c) Nam

- (c) Nam & in antitypo sepe plus est, quam typo fuit. Vid. Glaff. can. 3. p. 331. 332.
- (d) Vid. iterum Glaff. can. 5. p. 333. Ut autem hic inoffenso pede progrediamur, quaerenda sunt Scripturae loca, quae literaliter & perspicue exponant id, quod alias typicè proponitur.
- (e) Conf. Glaff. can. 8. p. 335. & B. Dannhauer. Hermen. Sacra. p. 453.
- (f) Vid. B. Casp. Finckius Disp. I. Tom. 5, Gifensium can. 13. p. 16. 17. Glaff. l. c. p. 335. 336. can. 9.

§. 10.

In *Parabolis* (a) non oportet hiniã in singulis curã angî, sed cum, quid parabola intendat, didicerimus, inde utilitate collectã, nihil est ulterius anxio conatu investigandum. Indicatur autem scopus parabolarum in ipsã scripturã ple- rumque vel sub initium, vel in fine parabolarum, (b)

NOTÆ.

- (a) *Monitum hoc est Chrysostomi in c. 20. Matth. Hom. 65. inculcatum a B. Lysero, in continuatione Harmonie Evangelicæ, c. 133, p. m. 226. Conf. B. Glaff. can. 5. sect. 5. tract. 2. p. 348. it. B. Dannh. in Hermen. Sacra p. 456.*
- (b) *Vid. Lyserus l. c. p. 227. Glaff. can. 4. p. 347. Quod si scopus parabolarum non satis disertè sub initium aut finem proponatur; saltem occasio proferendi parabolam, & natura sermonis præcedentis inspicere debent; atque hinc investigari tertium comparationis.*

§. 11.

Quoad *allegorias* primùm similiter requiritur, ut certus sit interpres, in scripturæ loco, quem tractat, reverã esse allegoriam; (a) deinde ut rem allegoricè illic traditam, ex aliis locis, ubi eadem literaliter traditur, cognitam rectè teneat; denique ut insistat tertio comparationis. (b)

NOTÆ.

- (a) Nempe ut allegoria innata, de quâ solâ hic agimus, ab illatâ distinguatur; & quidem in ipsâ praxi interpretationis. Atque hæc porro pertinent præcepta Hieronymi & Augustini apud Gerhardum in Tract. de Interpret. p. 61. §. 139. Ubi docetur: Non esse quærendas allegorias in textibus, quibus dogmata fidei, aut præcepta morum, aut promissiones, aut comminationes, apertè traduntur.
- (b) Prout de typis itemque de parabolis interpretandis diximus.

§. 12.

In Psalmorum interpretatione (a) non solum ad historiam temporum Davidis (b) diligenter respiciendum est; sed quasi persona, affectus & mores Davidis, partim ut hominis fidelis, (c) partim ut prophetæ (d) induendi sunt: Denique Psalmodiæ veteris Judaicæ rationem habere conducit. (e)

NOTÆ.

- (a) Vid. B. Dannhauer. in Hermen. S. p. 447. seqq.
- (b) Ita enim sæpè tituli ipsi Psalmorum jubent respicere interpretatam ad facta & fata Davidis. Et consulendus in eam rem Celeberrimus D. Geierus in comment. suo passim.
- (c) Non enim alterius verba & verborum emphasim satis feliciter assequitur, nisi qui indolem & mores, aut affectus loquentis accuratius cognitos habet. Conf. Dannh. l. c.
- (d) S. ilicet eodem spiritu explicetur prophetia, quo scripta est; adeoque licet interpres non polleat visionibus propheticis sibi immediate factis; naturam tamen prophetiæ, & pro diversitate objectorum, differentias observet.
- (e) Quæ quidem Psalmodiæ ad leges accuratioris Poëseos non est conformata. Vid. iterum Dannh. l. c. & Commentatores in Psalmos. Denique Dn. Augustus Pfeifferus in dubiis vexatis loco non uno.

§. 13.

In *Evangelistarum* explicatione quærenda est (a) præcipuè quatuor scriptorum harmonia (b), atque observandum, quænam ab uno solo, quænam a pluribus, quænam ab omnibus narrentur (c). De ratione ordinis autem sciendum est, eam quidem quoad potissimas narrationis partes ex circumstantiis investigari ac deprehendi posse, in cæteris autem non rarò conjecturis tantum piis atque eruditis locum esse relictum (d). Atque hic, & quantum ad annos ministerii Christi atque ordinem rerum gestarum attinet, maximè respiciendum est ad Paschata, quæ in ætatem istam cadunt. Præterea verò attendi debet ad connexiones narrationum, ab Evangelistis ipsis indicatas, quæ vel continuum, vel interpolatum ordinem denotant (e).

NOTÆ.

- (a) *Præter ea, quæ supra de interpretatione historiarum sacrarum & parabolarum diximus.*
- (b) *Vid. Flacius in Clav. Part. 2. Tr. 1. de ratione cognoscendi sacras literas, p. 101. & 102. itemque Chemnitius in prolegomenis Harmoniæ c. 2. ubi varios scriptores harmoniæ Evangelistarum memorat; adde Calixtum in concordia Evangelistarum, & prolegomenis ejus p. 5. & 6.*
- (c) *Sæpe enim fit, ut particulam aut circumstantiam rei vel sermonis alius afferat aut illustret, quam alius vel plane omisit, vel obscurius tradidit.*
- (d) *Non enim ipsi annales aut ephemerides conscribere voluerunt, sed praxin Christianam imprimis respexerunt, Conf. Chemnitius in prolegomenis Harmoniæ cap. 1.*
- (e) *Chemnitius l. c. cap. 3. 4. & 5. item Augustinus apud Flacium p. 200. num. 201.*

§. 14.

In *Epistolarum* Apostolicarum interpretatione crebro respiciendum ad librum Actorum Apostolicorum (a), itemque ad

ad mores & statum eorum, ad quos quælibet scripta est: (b) nec negligendum, quod Paulus peculiaria quædam verba ac formulas loquendi aut voces alias receptas in nova significatione (c) ac speciatim juxta morem loquendi patriæ suæ (d) usurpet.

NOTÆ.

- (a) *Ubi status Ecclesie Christiane & profectioes Apostolorum, atque incrementa & pericula Christianæ religionis describuntur.*
 (b) *Quod imprimis de Paulinis Epistolis ad certas Ecclesias scriptis, valet, vid. Flacius Tr. 2. p. 201. num. 204. seqq. Tr. 5. p. 507. seqq. it. Frantzius de interpretatione Scripturæ Orac. 49. p. 457.*
 (c) *Vid. Flacius l. c. p. 513. Glassius in Philol. sacr. libr. I. Tr. 4. sect. 4. p. 244. num. 3. & 4. Quæque illic ex Gregorio Nysseno affert. Conf. Eduardum Leigh in Criticis sacris voce ejusdem.*
 (d) *Videatur iterum Glassius l. c. n. 5.*

§. 15.

Cum in Novo Testamento sæpè allegentur dicta Veteris Testamenti, (a) imprimis opera danda est, ut, ubi & unde allegerur aliquid (b) item a quò (c), & quomodo (d), rectè intelligatur; Et sic utriusque generis locis Veteris & Novi Testamenti interpretandis lux accedat. Speciatim notandum est, aliquando repeti in Novo Testamento sententias Testamenti Veteris, vel nullâ vel levissimâ verborum immutatione factâ; (e) Aliquando mutari verba, sensu retento; (f) nonnunquam accommodationem potius eorum quæ olim dicta fuerunt, quàm repetitionem locum habere; (g) Interdum etiam provocari ad Vetus Testamentum, ubi talia verba nusquam leguntur, ac tantum congruentia rerum in Veteri & Novo Testamento consignatarum observanda est: (h) Et quia Novi Testamenti scriptores sæpè sequuntur versionem septuaginta interpretum, sciendum est, id ideo factum,

Etiam, ut illi, quibus, cum ista scriberent Novi Testamenti scriptores, usitator erat versio ista, quam forte textus authenticus, facilius informare possent. (i)

NOTÆ.

- (a) Vid. imprimis B. Kesleri disputatio peculiaris de allegatione dictorum Veteris Testamenti in Novo Testamento, qui extat in sylloge disputationum Academicarum B. Hackspanii sub finem: Conf. Flacium Part. 2. Clav. tr. 1. p. 102. 103. & 104.
- (b) Quam in rem multum possunt concordantia marginales accuratiorum codicum Biblicorum.
- (c) Aliquando enim scriptor ipse allegat dicta, nonnunquam allegantem alium indicat, v. g. Christum, adversarios ejus Satanamque ipsum; Unde postremis casibus non absurdum est, Scripturam Veteris Testamenti in Novo malè allegari & applicari, Vid. Kesler. c. 3. §. 24. p. 582. 583.
- (d) Ubi varii sunt modi ac formulæ allegandi, v. g. nominandi tantum scripturam aut Deum aut autorem secundarium aliquem indefinitè, aut definitè unum certum; ita quidem ut interdum uni assignetur, quod a pluribus est petatum & constat: Aliquando nulla planè formula allegationis adhibetur; sed tamen reverà repetitur dictum Veteris Testamenti; Conf. Kesler. c. 2. §. 11. usque ad §. 14. p. 572. seqq. c. 4. §. 35. p. 594. c. 7. §. 49. p. 608.
- (e) Atque hoc in casu parva etiam atque nulla difficultas interpretandi est. Vid. Kesler. c. 4. §. 27. p. 586. & c. 6. §. 39. p. 597. It. Flac. l. c. num. 14.
- (f) Prout enim interpretes, aut qui metaphrasin tradunt, vel perspicuitatis vel brevitatís causa sensum verborum haud raro sic tradunt, ut a verbis recedere videantur; ita nec Spiritus S. dubitavit citare hac ratione dicta Veteris Testamenti in Novo. Conf. it. Flac. num. 12. B. Finck. disp. 2. tom. 5. Giesensium. can. 5. p. 34. Adde Kesler. c. 4. §. 28. p. 587.
- (g) Vid. Flac. num. 11. Kesler. c. 6. §. 40. p. 598. ubi plures modos applicationum talium recenset. Conf. Finck. Disp. 3. can. 1. p. 509.

p. 509. Et verba Chemnitii utrinque citata. It. B. Hackspanii Disp. pecul. de accommodatione, quæ habetur in sylloge p. 412. præcipue quidem §. 10. 26. 40. 62. ubi accommodatio, quam Sociniani fingunt, accurate excutitur, & severè taxatur. Atque hoc etiam monitum Keslerus facit §. 48. p. 605. Non esse ad accommodationes præsertim typicas aut similes alias descendendum, ubi repetitio dicti quoad sensum literalem locum habere potest. Conf. §. 10. p. 570.

- (h) Exempla vid. apud Keslerum §. 15. 16. p. 575. it. §. 32. p. 591.
 (i) Add. iterum Kesler. §. 29. p. 588. & §. 33. p. 592. & si placeat Lightfoothum, in cap. 3. Luc. p. 755.

§. 16.

Textus sacri, qui mandata aut adhortationes continent, ita interpretandi sunt, ut ratio habeatur scopi, non solum primarii, qui est exacta sanctitas vitæ & actionum nostrarum, (a) sed etiam secundarii, qui est agnitio multitudinis ac deformitatis peccatorum nostrorum (b). Distinguedum etiam est inter præcepta, quæ & quatenus omnes respiciunt, & quæ & quatenus ad aliquos peculiariter aut unice pertinent. (c) Denique inter præcepta, quæ in casu tentationis proponuntur, & ea, quæ extra casum tentationis feruntur (d).

NOTÆ.

- (a) Sive eam præstare possint homines, sive non. Eadem enim vis legis utrinque manet. Pertinent autem hæc regulæ specialiores, de interpretatione decalogi, v. g. quod præcepta negativa includant contraria affirmativa, & præcepta affirmativa includant contraria negativa. Item: Quod præcepta aut prohibita unâ specie, præcipiantur & prohibeantur etiam species cognate.
 (b) Postquam videlicet intercessit corruptio naturæ humanæ. Conf. Rom. c. 3, v. 20. & B. Finck. can. 2. disp. 3. p. 60.
 (c) Moralìa cum primis & ceremonialia, & in eodem præcepto id quod morale est, ab eo, quod est ceremoniale: Sicut in Decalogo ejusque

ejusque præceptis primo & tertio id manifestum. Conf. etiam Flac. Part. 2. Clav. Tr. 1. p. 71. num. 7. 9. & 10.

- (d) Illic enim etsi jubeat Deus hominem, quantum in ipso est conferre ad agendum, tamen non aequè vult Deus ipsum actum perfici, prout constat exemplo Abrahami Gen. c. 22. Hic vero & ex vi mandati actum ipsum, quem mandatum designat, fieri vult Deus.

§. 17.

Promissiones legales, seu quæ legem servantibus vitam æternam promittunt, intelligendæ sunt sub conditione perfectæ obedientiæ (a), reliquæ vero, quæ sunt de bonis temporalibus, intelligendæ sunt cum exceptione crucis & castigationis (b). Evangelicæ autem promissiones, quæ sunt de gratiâ Dei & remissione peccatorum, cæterisque bonis spiritualibus, reverà significant seriem & benignam Dei voluntatem (c) de bonis spiritualibus hominibus conferendis; & bonis quidem aliis ad id, ut homines credant, aliis autem, si crediderint. (d)

NOTÆ.

- (a) Quæ per lapsum facta est impossibilis. Atque hæc conditio subintelligenda est semper, etsi non exprimitur. Conf. Flac. Part. 2. Clav. Tr. 1. p. 52. num. 13. & 14.
- (b) Vid. Finck. Disp. 3. can. 4. p. 67. it: c. 18. & 19. p. 83. & 85. Adde Flac. l. c. num. 15. & 16. ubi speciatim hinc observat, promissiones bonorum terrenorum magis ad Veteris Testamenti quàm Novi Testamenti populum pertinere; quasdam etiam ex illis sic esse accipiendas, ut sub temporalibus spiritualia intelligantur.
- (c) Hic enim oppidò cavendum est à distinctione Reformati recepta inter voluntatem signi & beneplaciti; scilicet ne vel dicatur, promissionibus tanquam signis non respondere voluntatem beneplaciti tanquam signatum; vel dicatur, respondere quidem signo isti aliquam voluntatem beneplaciti tanquam signatum;

tum; verum non eam quam signum ex instituto significat; sed aliam quamcunque; quod profecto absurdum & impium est.

- (d) Non autem præcise his, qui sciunt se credere. Nam promissiones Evangelicæ potius huc tendunt, ut qui fidem nondum habuerunt, ex promissionibus fidem concipiant; & qui sensu fidei hætenus carent, eandem ex promissionibus consideratis, & vim suam exferentibus percipiant.

§. 18.

Comminationes divinæ, quæ sunt de pœnis propriè dictis infligendis, intelligendæ sunt cum exceptione pœnitentiæ & conversionis (a); mala tamen temporalia ipsa nonnunquam etiam conversis reverâ immittenda prædicuntur (b), & quando spatium in comminationibus denominatum vel prorsus sublatum, vel prolongatum legitur; (c) certum est comminationem fuisse conditionalem (d).

NOTÆ.

- (a) Unde etiam sæpè factum est, ut non infligeretur, quod Deus minatus erat.
- (b) Etsi non amplius pœne rationem habeant; Vid. 2. Sam. 12. v. 11. & c. 16. v. 22.
- (c) Vid. Jon. 3. v. 10. Esaïæ c. 38. v. 5. Conf. B. Georg. König, vindicias loc. 97. §. 15. ubi speciatim observat, spatium in comminationibus præfixum, prolongatum aut sublatum quidem legi, anticipatum autem non item.
- (d) Alias enim voluntas Dei conciperetur mutabilis, quod est absurdum.

§. 19.

In locis Scripturæ, ubi de Sacramentis agitur, non minus quàm in illis, qui credenda continent (a), tamdiu inhærendum est sensui literali (b), quamdiu abest ratio urgentissima & omni exceptione major, quæ ad tropum confugere jubeat (c).

NOTÆ.

NOTÆ.

- (a) Utrobique enim agnoscendum est, Deum peculiari revelatione uti potius ad res sublimes manifestandas, quam ut omnia nostro captui subjecta esse debeant.
- (b) Non autem novum genus propositionum sacramentalium fingendum est, & peculiaris analogia Sacramentorum eò, qui Reformatis placet, sensu constituenda.
- (c) Atque hic etiam sicut de credendis non est agnoscenda contradictio, que forte videri potest rationi nostræ, cancellos suos egressæ; sed potius fatendum, non implicari contradictionem, quando utrumque eorum, que pugnare videntur, tam perspicue & graviter revelavit Deus: Contradictio autem non est palpabilis, aut sole clarior, ut vulgo loquuntur.

§. 20.

Cæterùm sicut ad superandam obscuritatem Scripturæ sensumque ipsum aliis accuratius tradendum opus est nosse *πολυσημία* vocabulorum ac phrasium itemque proprietates linguarum sanctarum, quæ ad Grammaticam pariter & Rhetoricam pertinent, ita adhæc cognoscenda, cum multæ admodum suppetant regulæ, aut observationes speciales, eamque in rem jam supra Flacii Clavis & Glassii Philologia imprimis commendata fuerint; nunc solum (a) ut de genuino horum librorum usu distinctius constet, addendum putamus, utile esse, si (1) a Studio Theologiæ Exegeticæ singulis diebus canon unus, aut sectio una, vel plures in Grammatica Glassiana legantur, loca Scripturæ allegata in fontibus consulantur, ac dispiciatur, anne significatio vocis aut phrasæ ab autore tradita illic deprehendi possit. Perlustratâ Grammaticâ idem tenetur circa Rhetoricam sacram. (2) Simili ratione legatur ex primâ parte Clavis Flacianæ singulis diebus vox una & altera, inspectis simul fontibus, quoad loca allegata, & additis, sicubi opus est, Lexicis præstantioribus. (3) Singulis hebdomadis Evangelia

Dominicalia percurrantur (forte etiam, si vacat, Textus Epistolici) & non solum juxta indices dictorum Scripturæ cum in Clave Flacianâ, tum in Grammatica & Rhetoricâ Glassiana videantur, quæ in eam rem utrinque traduntur (b); verum etiam partim voces ipsæ in textibus sacris occurrentes, in Clave Flaciana evolvantur, & variæ vocis significationes iterum perlustrantur ac memoriæ mandentur. Eodem modo quoad idiotismos nominum ac verborum, quæque apparent indicia troporum ac figurarum, Glassii Grammatica & Rhetorica inspiciantur ac tractentur. Præterea verò quoties five alia stant tempora sacra, five occasio quælibet dictum Scripturæ unum vel alterum scrutari jubet, exercitium simile instituatur (c). Denique autem quia aliud est, copiam verborum ac phrasum itemque idiotismorum sacre linguæ habere, aliud nosse, quanam significatio ex pluribus, hic ex nunc obtineat; idèd, etsi autoritas laudatorum doctorum magna sit, plenioris tamen certitudinis causa attendendum est ad contextum cujusque loci & regulas, quas ex ipsa natura scripturæ desumtas, maximumque pondus habentes supra vidimus (d).

NOTÆ.

- (a) *Aliàs enim quomodo quoad regulas hæcenus a nobis traditas conjungendus sit uterque autor, subinde indicatum est.*
- (b) *Et quia, quæ loco utròque tradit Glassius, respondent illis, quæ Flacius Part. II. Clavis Tr. 3. § 4. exhibet, non abs re fuerit, iuxta ordinem Philologie Glassianæ conjungere, quæ apud Flacium suis locis de eadem orationis parte § regulâ, aut observatione speciali habentur.*
- (c) *Ita enim promptus § expeditus fiet studiosus Theologie Exegetice, ut copiam habeat diversarum aut quarumlibet rationum loquendi in sacris, ubi una vel altera locum habere nequit, aliam tamen habeat, quæ difficultatem aut obscuritatem disti solvat.*
- (d) *Scilicet cavendum est, ne quæ locis citatis habentur, sic intelligas,*

telligas, quasi vel unius dicti in uno certo loco plures sint sensus literales; vel cum Socinianis pro communi latibulo aut effugio habeatur illud: Possè sic, possè aliter, possè tertio aut quarto modo explicari; sed ut potius quid de uno certo loco, quo ad sensum reverè tenendum sit, constet & doceatur. Quo pertinet, quod Flacius monet Part. II. Tr. 4. p. 283. num. 5. & 6. non sufficere ut aliquando ostendamus, verba non propriè, sed tropicè esse accipienda, aut ab alio interprete male accipi; nisi quis tropus, aut quæ significatio locum reverè habeat, ostenderit.

§. 21.

Cum varia in Scripturis occurrant loca obscura admodum & difficilia (a) in quibus verum sensum vix ac ne vix quidem invenerit etiam eruditus interpretes ita, ut plane certus de eò esse & alios certos reddere queat; non est irreligiosum aut inconveniens putandum; si vel ex pluribus sententiis de sensu loci eligat opinionem maximè probabilem (b), vel plane in medio relinquat, quænam sit genuinus loci sensus (c).

NOTÆ.

- (a) Non solùm in prophetiis atque historicis textibus, verùm etiam in his nonnunquam, qui res fidei aut morum non plane ex professo tractant; forte etiam cum alii Scripturæ locis pugnare videntur.
- (b) Non enim per hoc tollitur fidei certitudo; neque putandum est displicere Deo, si in obscura revelatione pie conjecturæ locum habeant, ubi liquidam & claram cognitionem obscuritas ipsa revelationum denegat.
- (c) Satius enim est fateri ignorantiam, quàm falsò jactare scientiam; aliud quoque est, non definire, utrum hic, an iste, an ille sit verus sensus literalis certi loci? aliud, agnoscere & docere, tot aut plures reverè esse sensus literales loci ejusdem. Posterius in Pontii-

Pontificis rectè reprehenditur: Prius Christianum & modestum interpretem non dedecet.

§. 22.

Denique cùm Theologia Exegetica sit practica (a), ideo, etsi aliud sit sensum verborum Scripturæ investigare & tradere; aliud cognitio sensu porro dispicere & tradere, quænam doctrinæ per modum conclusionum ex textibus fluant atque ad ædificationem faciant (b); tamen utile admodum & scopo hujus studii conveniens fuerit, ut qui interpret scripturæ futurus est, mox sese assuefaciat ad eruendas & nervosè proponendas doctrinas, quas textus Scripturæ suppedirant (c).

NOTÆ.


- (a) Videantur quæ supra Cap. I. §. s. seqq. diximus.
 (b) Quorum illud formaliter ad Theologiam Exegeticam, hoc ad Positivam aut Moralem, aut Homileticam spectat.
 (c) Scilicet ut usus hujus studii tanto rectius cognoscatur, nec tantum scholæ, sed & vitæ discatur.



Vol 11 = folio 3

I, C.







IOH. GVILIELMI BAIERI,
S. THEOL. D.
COMPENDIVM
THEOLOGIAE
EXEGETICAE,
in Vsum Auditorum quondam
conscriptum,
nunc
post Authoris obitum
secunda vice
publici iuris factum.

Anno MDCCXXIII.

